





102 II

21

1736, 18

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**Streit, J.U.D.**

EMINENTISSIMI AC CELSISSSI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. in civilem. 2. Cod. de furt.*

ET  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*AD DIEM XXII. FEBRVAR. MDCCXXXVI.*  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

MAGISTERIATIS UNIVERSITATIS  
DECAANUS  
JO. B. HILDEBRAND

IMMENSISSIMA AC CEREBRISI LUXURIA  
ILLUSTRIORIS MODERNISSIMI CONSILII  
SIBI PREDICANTIS  
AD MUNDUM ET HOC CVM CIRCONVANIA  
DISSEMINATIONEM INAGGRAVAREM  
FECIOREREA EQUITOVA HUMANA  
LITERA

1700

Principia tam communia, quam propria, & pro-  
pria tam universalia, quam particularia, ex qui-  
bus jurisprudentia conclusiones suas deducit  
suggerit textus in §. 3. inst. de justit. & jur. ubi  
tria recensentur juris præcepta: Honestè vivere: alte-  
rum non lèdere: suum cuique tribuere. Principiis enim  
his, non jurisprudentia tantum, sed omnes reliquæ  
scientiæ morales iisdem utuntur, tanquam lumine  
naturæ perspicuis, ac plerumque conclusiones suas ul-  
timò ex iis colligunt. Sic v. g. edicit jurisprudentia,  
Deum colendum, parantes honore prosequendos, obedientiam  
iis exhibendam esse, quibus potestas imperandi assidet.  
Conclusiones has ex primo juris præcepto sic dedu-  
cit: id agendum nobis, quod honestatis laudem vitæ nostræ  
conciliat. Sed cultus Dei, honor parentum, obedientia, su-  
periorum preceptis intenta, honestatis laudem vitæ nostræ  
conciliant: ergo Deus à nobis colendus, Parentes honore  
prosequendi, obedientia legitimis superioribus existenda.  
Sic quoque enunciat jurisprudentia, furtum gravi pæ-  
na plectendum esse. Conclusionem hanc ex secundo  
juris præcepto sic colligit. Actus, quo graviter offendit  
Res publica, ac disciplina ejus, meretur gravem pænam,  
sed furtum est actus, quo graviter offenditur Res publica,  
ac disciplina ejus: ergo meretur gravem pænam. Sic et-  
iam decernit jurisprudentia: fructus, malâ fide ex re-

) ( 2 per-

perceptos, domino reddendos esse. Conclusionem hanc ex tertio juris præcepto ita colligit. Quod jure dominii pertinet ad alterum, id eidem est reddendum. Sed fructus, malo fide ex re aliena percepti, jure dominii pertinent ad alterum: ergo eidem sunt reddendi. Certè principium proprium & universale jurisprudentiae stat in sequenti axiomate: Legi justæ obtemperandum est, dum obligatio-  
ne ejus non solvimus. In hoc principio tota nititur ju-  
risprudentia, ad quod omnia reducuntur. Si inqui-  
ras, cur fur manifestus plectatur poenam quadruplicem  
non aliam responcionem feres, nisi, quia poenam hanc  
lex determinat. Si postules, cur homo, pretii parti-  
cipandi gratia seipsum vendens, libertate cadat? redit  
antiqua cantilena, quia in poenam improbitatis lex ei-  
dem libertatem adimit. In hoc itaque principium  
omnes ferè conclusiones juris resolvuntur. Sic sine quo  
lex usucacionem non vult procedere, sine eo non confert do-  
minium, sed absque bona fide lex usucacionem non vult pro-  
cedere: ergo sine hanc non tribuit dominium. Sic detinens  
rem furtivam, vel alienam tenetur eam restituere Do-  
mino sine pretio. per L. in civilem 2. Cod. de furtis.  
Quicunque enim habet rem alienam, quamvis optimâ  
fide illam haec tenet, putans esse suam,  
simil atque tamen cognoverit esse alienam, tenetur  
ad ejus restitutionem, primâ opportunitate; non enim  
potest retinere rem alienam invito domino; hinc lex  
concedit domino vindicationem rei suæ, ubicunque  
ea fuerit, sine pretio. L. Mater. 3. L. si mancipium 23.  
Cod. de rei vind. nisi in ejus utilitatem versum probe-  
tur. L. 65. pr. ff. d. r. & L. si pretium 19. Cod. de procu-  
rat. alias enim rem aliquam furto subtractam vindi-  
cans,

cans, non tenetur offerre pretium. *d. L. 23.* cum em-  
ptor rem suam emere non possit. *L. 16. ff. de contrab.  
empt.* Si vero eam ulterius detineat, habitâ restituendi  
opportunitate: incipit esse possessio malæ fidei, &  
obligari non solum ratione rei acceptæ, sed etiam, ra-  
tione iniquæ detentionis, quæ æquivalet iniquæ ac-  
ceptioni, & cum talis in mora sit, tenetur ad restitu-  
tionem, etiamsi res casu perierit. Attamen bonæ fi-  
dei possessio, si eam interim consumpsit vel aliena-  
verit, id duntaxat tenetur restituere, quo inde factus  
est locupletior, secundum communem DD. opinio-  
nem, quia solum tenetur ratione rei acceptæ, quæ  
cum non amplius apud illum, cessat quoque cum ea  
ejus obligatio. Hinc sequitur, quod, si istas bona fide  
emerit, & deinde eodem pretio, vel minoris bonæ fide  
vendiderit, ad nihil teneatur, si vero pluris vendiderit,  
ita ut rem familiarem auxerit, teneatur solum resti-  
tuere illud auctarium. Et si eam dono acceperit, &  
vendiderit, teneatur restituere pretium, nisi forte il-  
lud insumpsit in lusum, vel largitiones, ita ut ex eo  
non sit factus locupletior, scilicet, si aliquin talia im-  
pendia facere non constituerat, si enim jam decreverat,  
vel si necessarium erat impendere, quamvis illius rei  
pretium non obtigisset, jam pepercit rebus suis, quas  
impendisset, & sic censetur locupletior factus. Unde  
tenetur, quatenus rebus suis, insumento aliena, peper-  
cit. Porro sequitur, quod si eam bonæ fide donave-  
rit, non donatus aliam similem, vel dissimilem, si  
hanc non habuisset, non teneatur ad quidquam, quia  
non est factus ditior. Secus est, si aliam ex suis erat  
donatus: quia tunc pepercit rei suæ, donando alie-  
nam,

nam, & ita compendium ex re aliena fecit. Si insuper quæratur, utrum possessor bonæ fidei teneatur fructus perceptos restituere? Resp. quod teneatur restituere omnes fructus, qui apud illum extant, modo non sint fructus meræ industriae, fructus enim hoc ipso, quo proveniunt ex re alterius, cedunt in hujus dominium. s. si Titius seq. inst. de rer. divis. Illi vero non sunt restituendi, ne quidem à malæ fidei possesso. Si vero fructus non extant, & tamen factus sit locupletior, tenetur, quatenus locupletior: sive isti fructus fuerint naturales, sive mixti. Covarr. lib. 1. variar. cap. 3. n. 6. Et alii passim. Quia fructus debentur domino, detractis expensis; in locum autem fructuum succedit eorum pretium, quā parte eo factus est ditior. In quibusdam tamen tribunalibus fructus mixtos non extantes, et si inde factus sit locupletior, judicari non esse restituendos, refert Covarr. lib. 1. var. cap. 3. n. 6. quae etiam est multorum juris peritorum sententia, ut ibidem docet, eidemque videtur favere s. si quis à non domino. inst. de rer. divis. si questum 40. ff. de acquir. rer. dom. contrarium tamen alii dicunt esse verius, per tex- tum si Et me Et Titium 32. ff. si certum petat. intelliguntque sententiam priorem de eo casu, quo non factus est locupletior. Variæ aliae circa hanc materiam occurruunt quæstiones: Utrum, si quis emerit rem furtivam bonâ fide, teneatur eam domino reddere, an vero possit dissolvere contractum, recepto pretio? Utrum si quis dubitet, an res sit aliena, possit eam accipere, retinere, alienare? Cui bona, quorum dominus ignoratur, sint restituenda? Et aliae, quas occasione dñe si incivilem. 2. Cod. de furti ex cathedra resolveret

Nº.

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS  
HENR. CHRISTOPHORVS  
BERTVCHIVS,

in lucem editus anno MDCC XII. patrem natus indulgentissimum, Dn. IOANNEM CHRISTOPHORVM BERTVCHIVM, qui nunc Serenissimo Principi ac Duci Saxo-Gothano à secretioribus literis est. Matrem verò ELISARETHAM MARGARETHAM, Viri Praenob. & Experientissimi IACOBI WEITZII, Doctoris in arte salutari, nec non Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Consiliarii, filiam natu maximam. Quorum venerandorum Parentum curâ non solum christianæ religionis, sed etiam optimarum artium scientiam cognitionemque accepit. Usus in Scholâ inferiore, tum privatâ, tum publicâ institutione virorum solidæ eruditionis laude conspicuorum VOCKERODT, STUSSI, RICHARDI, LOESCHNERI, FISCHBECKI. Laudes decentissimas decernit viro clarissimo, Doctissimoque FRIDERICO CHRISTIANO BAVMEISTERO, jam artium liberalium Magistro, & Facultatis Philosophicæ, quæ Vitembergæ floret, Assessori, cuius informacionem & curam in se erudiendo, perpetuae commendat memoriae. Ad studia itaque altiora præparatus, Scholas philosophicas & juridicas Jenæ frequentavit, & in juris prudentia explananda Professores habuit viros Magnificos & Consultissimos BECKIVM, BRUNOVELL, DIT MARVM. Porrò Vitembergam se consultit, ibi magnorum Jurisconsultorum LEYSERI, BA-

STI-

STINELLERI, WERNHERI doctrinas percepturus,  
triennioque ibidem peracto, domum revocatus, pra-  
xin theoriae conjunxit, quod ut felicius procedere pos-  
sit, supremos jurium honores desiderat, ad eosque ob-  
tinendos, à facultate Juridica hujate ad consuetum  
Doctorandorum examen admitti decenter periit, admis-  
sus, Textus ex utroque jure transmissos exactè resolvit,  
& ad quæstiones propositas tam doctè & solidè re-  
spondit, ut supremis jurium honoribus, unanimi con-  
fensi, dignus judicatus sit, quare cras, horis consuetis  
ad dict. L. incivilem. 2. cod. de furt. lectionem cursoriam,  
cāque finita Disputationem inauguralem

DE EO  
QVOD CIRCA  
**A EQVITATEM**  
INIQVVM EST,

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Domini-  
nus Rector, nec non Domini Proceres & cives Acade-  
mici humanissimè invitantur. Publicatum sub Sigillo  
Facultatis Juridicæ XXI. Februar. MDCC XXXVI.








**ULB Halle**  
005 355 699

3



5b

VJ18



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-798239-p0014-2

DFG



1736, 18

27

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
JO. PHILIPPUS  
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

**AD AUDIENDAM LECTI<sup>E</sup>N<sup>M</sup> CURSORI<sup>A</sup>M**  
*ad L. in civilem. 2. Cod. de furt.*

ET  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
AD DIEM XXII. FEBRVAR. MDCCXXXVI.  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.